

## ET FVTVRA PANDA SIVE DE CATULLI CARMINE SEXTO CORRIGENDO

I. In Catulli codicibus manu scriptis uersus a 12 ad 14 carminis sexti, cuius initium est *Flauī delicias tuas Catullo*, leguntur ut sequitur:

*inista preualet nichil tacere  
cur non tam latera et futura panda  
nec tu quid facias ineptiarum*

Versus 12 uarie emendatur. HAUPTIUS, qui scripturam aliter in uerba diuidit litterisque mutatis duabus etiam uocem *nam* praeposuit, ut metrum integrum esset, uersum 12 ad hunc emendauit modum:

*nam nil supra ualet, nihil, tacere*

Aliter GOOLDIUS, qui 'p' litteram duxit esse praepositionem *per* eamque non solum a librario non intellectam, sed etiam perperam positam; namque in codice, qui nostrorum codicum fons fuit, illud *per* per abbreviaturam eamque ambigue super uersum positam uidelicet scriptum esse. Ita litteris codicis, qui est O, nullis fere mutatis, sed una in alium locum traiecta et loco supra dictae abbreviaturae resoluta, edidit GOOLDIUS eundem uersum hoc modo:

*nil perstare ualet, nihil tacere*

Hoc multo aptius uidetur, quam quod ab HAUPTIO propositum erat, tribus praecipuis rationibus. Primum, quod GOOLDII lectio propior est scripturae, quam conseruauerunt codices uetustissimi. Deinde, quod, cum *nihil* non repetitum sit bis ad idem pertinens uerbum, quod est *ualet*, uersus plus congruere uidetur regulis artis poeticae. Denique ea lectione adhibita culmen atque momentum carminis non reuelatur ante uersum 14, quod item ad artis bonitatem spectat. De hac re, ceterum, infra fusius disseretur.

Quod attinet ad uersus reliquos, id est 13 et 14, plerumque consentiunt uiri docti. Illud *et futura* correxit LACHMANNUS, *nec* autem, quod est in uersu quarto decimo, utpote ex *nei* ortum esse intellegitur, cuius scripturae uestigia hic et illic inueniri uidentur<sup>1</sup>, a GUARINO in *ni*, a MARCILIO in *nei* mutatum est. Verbum *panda* conuertitur in *pandas* auctoritate trium codicum recentiorum, qui suo Marte uidentur repleuisse id, quo codices uetustiores carent. Hoc enim loco in uersu extremo una littera deest uel intellegitur quidem deesse.

Ita in editionibus plerisque recentibus uersus 13 et 14 hanc habent formam:

*cur? non tam latera effututa pandas  
ni tu quid facias ineptiarum.*

II. Hi uersus, sicut rettuli, quamuis omnibus emendationibus factis iam satis bonum exhibeant sensum, omnino tamen non uidentur difficultatibus absoluti. Id quod praecipue mirum uidetur, est dictum illud *latera pandas*. Latus enim pars habetur corporis humani, in qua sedem praecipuam habent uires ad coitum pertinentes; quocirca cum Catullus dicit *latera effututa pandas*, intellegitur ab editoribus tamquam si esset 'pateat, ut uires tuae defessae sint' (negotiis scilicet nocturnis). At cum homo animalue aliquod membrum pandere dicitur, id uerbum, quod est 'pandere', ad eas corporis partes plerumque pertinet, quae re uera pandi, id est intendi aut extendi, possint. Quae sunt exempli

<sup>1</sup> e.g. 4,23: codd. *amaret* pro 'a mari' ex 'a marei'.

gratia alae, artus, manus, palmae et cetera, quorum exemplorum numerus admodum magnus in Thesauro Linguae Latinae inuenitur<sup>2</sup>. Latera humana ita non pandi quis est, qui ignoret.

Alia res mira offenditur in uersu qui sequitur, id est quarto decimo. Quaeritur enim, quare Catullus posuerit illud *tu*, quod pronomen nullam uidetur habere uim nec rationem, nisi id esse insertum admittimus ideo tantum, ut ratio numeri salua esset. At sane uix credi potest, ut Catullus poeta tam lepidus tam illepide uersum expleuerit. THOMSON in commentario suo id sumptum esse de medio<sup>3</sup> contendit confertque duos alios locos, ubi opinione eius similis usus inuenitur. Qui sunt uersus 13,13 atque 23,22:

13,11 sqq.:

*nam unguentum dabo, quod meae puellae  
donarunt Veneres Cupidinesque,  
quod tu cum olfacies, deos rogabis,  
totum ut te faciant Fabulle nasum.*

23,18 sqq.:

*hanc ad munditiem adde mundiorem,  
quod culus tibi purior salillo est  
nec toto decies cacas in anno  
atque id durius est faba et lupillis,  
quod tu, si manibus teras fricesque,  
non umquam digitum inquinare posses.*

Licet recte uideatur THOMSON dixisse, est tamen differentia quaedam haud spernenda loci illius numero 6,14 et horum supra scriptorum. Namque et in 13,13 et in 23,22 ratio pronominis ponendi, licet parui momenti, talis saltem est, quod utroque loco incohatur sententia noua, cui et subiectum aliud et persona praedicati alia est, quam priori; sane enim dictum est *donarunt Veneres ... quod tu cum olfacies*, hoc per personam secundam, per tertiam illud; item *id durius est faba ... quod tu si ... teras*. Quae transitio pronomine *tu* significatur.

Similis usus etiam in his Catulli locis offenditur:

- Corneli tibi (libellum dono), namque tu solebas ... (1,3)*  
*ibi illa multa tum iocosa fiebant, quae tu uolebas ... (8,6)*  
*nec te ... (Catullus) rogabit inuitam, at tu dolebis ... (8,13)*  
*utor tam bene quam mihi pararim, sed tu ... molesta uiuis (10,32)*  
*unguentum ... quod ... donarunt Veneres ... quod tu cum olfacies (13,11)*  
*nec facta impia ... caelicolis placent; quae tu negligis ... (30,4)*  
*si tu oblitus es, at di meminere ... (30,11)*  
*male est ... tuo Catullo ... quem tu ... qua solatus es allocutione? (38,1)*  
*Catullus agit ... (qui est) tanto pessimus poeta, quanto tu (es) optimus ... patronus (49,4)*  
*id mea me ... docuit regina ... et tu non orbem luxti deserta cubile (66,19)*  
*amor sedes incolat ... tu uero ... placabis Venerem (66,88)*  
*multiuola est mulier, sed tu ... uicisti ... furores (68b,128)*  
*nemone ... potuit esse ... quem tu diligere inciperes ... quem tu ... audes (81,1)*

<sup>2</sup> TLL, uol. X, I fasc. II, p. 194 col. 2, p. 195 col. 1, p. 198 col. 2 (B β).

<sup>3</sup> D. F. S. THOMSON, *Catullus*, Toronto 1998, p. 233: 'unemphatic *tu* is colloquial'.

*non satis id causae credideram, ... tu satis id duxti ...* (91,8)  
*... amicae ... accipiunt pretium, ... tu ... facis facinus* (110,1)  
*... tela ... tua euitabimus ... , at fixus nostris tu dabis supplicium* (116,7)

Ea, quae supra omisi, sunt enumerationes:

*sitis felices et tu simul et tua uita et domus ... et domina ... et ...* (68b,155)  
 et inuocationes, ubi *tu*, aut repetitum aut non, apostropham firmat:  
*tu Lucina ... Iuno ... tu ... es* (34,13 sqq.)  
*tu praeter omnes une de capillatis ... Egnati* (37,17)  
*tu fero iuueni in manus ... puellulam dedis ... o ... Hymen* (61,56)  
*o frater adempte mihi, tu mea, tu moriens fregisti commoda frater* (68,20)

Ad haec etiam uersus 8,9 et 8,18 et 15,11 et 24,9 et 61,151 et 62,59 et 76,11 adiungi possunt, ubi *tu* pronomine iussus, interdictum, persuasio, exhortatio nititur.

Nullo pacto est ita in 6,14, ubi *tu* pertinet ad personam eandem idemque subiectum, ad quod pertinet etiam uersus superior; nec quicquam eo loco imperatur, neque interdicitur, neque inuocatur quisquam, neque ulla est ibi persuasio nec mutatur subiectum nec persona uerbi temporalis. Id quod fit est quasi repetitio inanis eius rei, quae iam nota est ex praedicato superiore (quod est *pandas*). Vt aliter dicam, in hac sententia: *non tam latera effututa pandas, ni tu quid facias ineptiarum*, nullum *tu* omnino desideratur. Accedit, quod etsi desideraretur, nulla tamen ratione eo poneretur loco, quo positum est; naturaliter enim 'ni quid tu' (quod cf. cum uersibus 62,34 et 89,5) potius dicitur, quam 'ni tu quid', huius autem traiectionis nulla hercle uidetur esse causa.

His duabus rebus consideratis locum uidemus iam suspectiorem fieri.

Tertium et ultimum, ratio totius carminis consideranda est. Accusat nempe Catullus Flauium amoris occulti, indicat eum agere noctes cum amica, quam ei nec uult monstrare nec nomen eius dicere. Causa cognoscitur in uersibus a 6 ad 13, uersu 14 fertur sententia. Hanc ob rem emendatio GOOLDII ad uersum 12 aptior est, quam emendatio HAUPTII, quia haec nimis hercle mature prodit id, quod non prius quam ex uersu 14 cognoscitur in illa.

Accedit, quod 'facinus' peruestigatur a Catullo uestigiaque inueniuntur in condicione cubilis. Hoc est omne momentum rei, quia nihil est nisi cubile, quod denudat 'scelera' per uersus plerosque. At subito poeta loquitur de condicione Flauii ipsius: lectum esse *quassum* et *tremulum* et *argutari* nec quicquam ualere, si Flauius taceat, qui non uideatur tam (!) defessus, nisi 'ineptias' faciat. Si ex Flauii condicione recognosci possit, quid agat, necesse est ergo inuestigationem diuturnam lecti, quae in uersibus 6-10 fit, sensu omnino carere nec pertinere ad rem. Neque *tam* in uersu 13 nec *tu* in uersu 14 quicquam potius ualet, quam ut numerus in carmine maneat. Num re uera pepererit Catullus tale monstrum?

III. Sane non peperit. Sicuti iam supra scripsi, in uersu 14 libri manu scripti exhibent *panda*, quod in omnibus editionibus mutatur in uerbum, quod est *pandas*, 's' littera adiuncta auctoritate trium codicum recentiorum; id est quasi nulla. Ob omnes difficultates, quas supra demonstrare conatus sum, contendo affirmatissime lectionem illam esse prauam improbandamque atque legi debere *pandat*, ad hunc modum:

*Flauī, delicias tuas Catullo,  
 ni sint illepidae atque inelegantes  
 uelles dicere nec tacere posses.*

- uerum nescio quid febriculosi*  
 5 *scorti diligis, hoc pudet fateri.*  
*nam te non uiduas iacere noctes*  
*nequicquam tacitum cubile clamat*  
*sertis ac Syrio fragrans oliuo*  
*puluinusque peraeque et hic et ille*  
 10 *atritus tremulique quassa lecti*  
*argutatio inambulatioque.*  
*nil perstare ualet, nihil tacere.*  
*cur? non tam latera effututa pandat*  
*ni tu quid facias ineptiarum.*  
 15 *quare, quicquid habes boni malique,*  
*dic nobis. uolo te ac tuos amores*  
*ad caelum lepido uocare uersu.*

*Pandat* — lectus scilicet tremulus atque argutans propter amores nocturnos, cuius latera lignea laxatis iam ligaminibus panduntur, id est dissoluuntur nec multum abest, quin lectus in partes dissipetur. Hac lectione statim soluitur illud *tam*, quod nunc uidemus locum suum in uersu 13 iure tenere et significare 'tanto, quanto id esse supra, id est uersibus 7-10, descriptum est'.

Item '*lectus effututus*' est, quod Catullus per *latera effututa* parte pro toto usurpata expressit, quoniam Flauius eum lectum noctibus 'effutuit', hoc est ita futuendo labefecit, confregit, lacerauit, ut reffectum iri uix possit. Similis eius uerbi usus affertur a Suetonio<sup>4</sup>, qui distichum refert iactatum a militibus C. Iulii Caesaris per Gallicum triumphum:

*Vrbani seruate uxores, moechum caluom adducimus;*  
*aurum in Gallia effutuisti, hic sumpsisti mutuum.*

Quo loco cum dicitur '*aurum effutuere*', significatur quasi 'pecuniam dissipare amorum causa'. Vt Suetonius rei familiaris, sic Catullus lecti condicionem miserrimam narrat, quae cum superioribus uersibus clare iam admodum depicta sit, hac tamen locutione etiam firmiter exponitur; at simul ea uerba Catullus cum adhibet, quae sunt '*effutuere*' et '*latera*', utrumque ad coitus clare pertinens, per luce clariorem neque infacetam allusionem defert declaratque lectori uel hebetissimo, quid apud Flauium noctu agatur, nec non Flauium ipsum facit certiore se scire, cur lectus dissipetur.

In uersu autem, qui sequitur, pronomen *tu* re uera eandem nunc recipit significationem, ac in 13,13 et 23,22 et aliis locis similibus, quos supra indicaui, cum etiam hic subiectum nunc mutetur. Item nunc liquet, quare *ni tu quid*, non *ni quid tu* dictum sit. Hac nempe traiectione uerborum tanta fit sententiae uis, ut, cum *ni tu* recitetur, oculis animi digitum Catulli accusantis quasi uideamus directum esse in Flauium.

<sup>4</sup> Suet. *Iul.* 51.